

refert Fagnanus. « Alphonsus Ruiza, et Isabella Rodriguez. Pacen., diœcesis sponsalia per verba de futuro inter se contraxerunt; sed cum antequam se nupsissent, aut simul loquerentur, Isabella gravi morbo correpta fuisset, se invicem a promissione, et juramento absolverunt: nunc autem Alphonsus volens contrahere cum Maria sorore germana dictæ Isabellæ dubitat, an ex sponsalibus cum Isabella contractis, et mutuo consensu dissolutis ortum sit publicæ honestatis impedimentum? Sacra congregatio censuit, sponsalia hæc, cum a principio valida fuerint, induxisse impedimentum publicæ honestatis, licet mutuo consensu dissoluta; quia concilium hoc solum desiderat, quod a principio valida sint; et quia a principio valida, deinde dirempta per mortem, id impedimentum inducunt, ita et dissoluta consensu. Et novissime, juvante sanctissimo domino nostro propositum fuit in sacra Congregatione concilii, an sponsalibus valide ab initio contractis, dein mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiæ publicæ honestatis. Et pluries proposito dubio, ac mature examinato, tandem sub die sexta julii, 1658, Eminentissimi patres in antiqua ejusdem congregationis sententia consistentes censuerunt non esse dubium. Cujus sententiæ una cum rationibus hinc inde deductis, et recentioribus ejusdem congregationis in hac responsis, facta relatione ad sanctissimum, sanctitas sua die 10, ejusdem mensis prædictam congregationis resolutionem probavit, eamdemque jussit in dubium deinceps non revocari.

Ex quo patet, quod declaratio ab adversariis, allegata vel legitima non fuerit, vel si fuit, per subsequentem et a pontifice approbatam infirmata, consequenter doctrina nostra stabilita habeatur.

18. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quam ex concilio Tridentino desumere nituntur, ratio, quia concilium, dum dixit ex sponsalibus invalidis non oriri impedimentum publicæ honestatis, loquebatur de illis, quæ statim ab initio fuere invalida, non autem de illis, quæ ab initio valida, postea ex aliqua causa, aut mutuo consensu fuere dissoluta: alias certa etiam cessaret impedimentum, si sponsalia morte unius sponsi solvantur, quod est contra omnes etiam adversarios.

19. *Ex sponsalibus gravi metu injuste incusso initis non oritur impedimentum publicæ honestatis.* — Resp. VI, Ex sponsalibus de

futuro gravi metu injuste incusso initis nullum sequitur impedimentum publicæ honestatis. Conclusio patet ex dictis lib. I, tit. XL, de *His, quæ vi, metusque causa*, § 3, a num. 44, ubi probavimus, talia sponsalia esse ipso jure nulla, consequenter nullum inducere impedimentum, cum hoc non nisi ex validis sequatur sponsalibus, per dicta num. 12. (ADNOTATIO LXXVII.)

TITULUS V.

De conditionibus apposis in desponsatione, vel in aliis contractibus.

1. *Ratio ordinis.* — Actum est hucusque de sponsalibus, et matrimonio pure, seu absolute contractis. Verum quia ea, sicut et alii contractus nonnunquam etiam sub conditione fiunt, ideo præsens titulus subjungitur, et quoniam conditioni valde æquus est modus, causa ac demonstratio, etiam de his ad finem agetur.

§ I.

DE NATURA, ET DIVISIONE CONDITIONIS: UBI ETIAM DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO SUB CONDITIONE POSSIBILI: HONESTA: ET IN SPECIE: *Si Papa dispensaverit: VEL Si virginem te invenero.*

2. *Varia acceptio conditionis.* — Notandum prius, terminum *conditio* habere varias significationes. Aliquando enim sumitur pro statu personæ, § fin. *Instit. de Jure person.*, ibi: « Si servorum conditione nulla est differentia. » Subinde sumitur pro optione, seu electione, l. *Papianus*, 8, § *Si quis*, 12, de *Inoff. testament.* Interdum sub modo, c. *Verum*, 4, h. t., ordinarie vero, et prout in præsentibus agitur, sumitur pro aliqua circumstantia alicui dispositioni adjecta, a cujus existentia dependere volumus actum, seu dispositionem. Hinc.

3. *Conditio propria quid?* — Quæritur I. Quid ad præsens, et quotuplex sit conditio? Resp. I. Conditio ad præsens est adjectio dispositioni, id est, actui, vel contractui apposita, vel subintellecta suspendens, aut resolvens ipsam dispositionem, quæ sub ea fit. Abbas, et Baldus, in *Rubr. h. t.*, cum com-

moni arg. § *sub conditione Inst. de Verb. obligat.* Quæ conditio ordinarie exprimitur per particulam, *Si*, v. g. « Si pater consentiat; Si Titius consul fiat, etc. » Cæterum conditionis descriptio data patebit ex sequenti conclusione.

4. *Alia tacita, alia expressa.* — Resp. II. Conditio varie dividitur. Et quidem primo in expressam et tacitam. Expressa est, quæ verbis expressis apponitur; tacita vero, quæ actui inest, etsi non exprimitur: hinc in definitione additum est, vel subintellecta. Tacitæ aliæ sunt generales, quæ nempe quivis contractui tacite insunt, v. g. « Si Deus voluerit; si potero, etc. » Aliæ speciales, quæ alicui contractui in specie insunt, ut in sponsalibus, « si nullum intervenit impedimentum: si res in eodem statu permanerit. »

5. *Alia de præsentibus, alia de præteritis, alia de futuro, quæ ultima sola est conditio propria.* — Secundo. Alia conditio est de præsentibus, alia de præteritis, alia de futuro. Conditio de præsentibus est, quæ circumstantiam pro præsentibus tempore, quo fit contractus, denotat, v. g. « Promitto tibi matrimonium, si virgo es: vel si non corrupta. » Conditio de præteritis est, quæ circumstantiam jam præteritam respicit, v. g. « Contraham tecum, si navis ex India jam advenit. » Et conditio de futuro est, quæ circumstantiam primum eventuram denotat, et donec eveniat, dispositionem; et obligationem suspendit, eaque non eveniente dissolvit, arg. cit. § *Sub conditione*, 4. *Instit. de Verb. obligat.* Et hæc de futuro est proprie conditio non item de præsentibus, vel præteritis, lib. *Institutio*, 10 ff., de *Condit. instit.* ibi: « Cum nulla sit conditio, quæ in præteritum conferatur, vel quæ in præsens; veluti, si rex Gothorum vivit. Si navis in portu stat. » Ratio est, quia de natura veræ conditionis est, suspendere valorem actus, et obligationis ejus, atque facere, ut actus possit subsistere vel deficere, juxta existentiam nempe vel defectum conditionis; hoc autem non facit conditio de præsentibus, aut præteritis, l. *Cum ad præsens*, ff. de *Reb. Credit.* et § *Conditiones*, 6. *Instit. de Verb. obligat.*, ibi: « Conditiones, quæ ad præsens, vel præteritum tempus referuntur, veluti; si Titius consul fuit. Si Mævius vivit, dare spondes? Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio; sin autem ita se habent, statim valet. »

6. *Alia necessaria: alia contingens: alia*

potestativa: alia casualis: alia mixta. — Tertio. Conditio de futuro rursus dividitur in necessariam, et contingentem. Necessaria est, quæ necessario eveniet, v. g. « Si cras sol orietur, hoc faciam. » E contra contingens est, quæ potest evenire, vel non. Et hæc subdividitur in potestativam, casualem, et mixtam. Potestativa est, quæ est in potestate illius, cui apponitur, ita, ut, si velit eam adimplere, omnino possit, arg. l. II. ff. de *Condit. et demonstr.* Casualis est, quæ non dependet a voluntate illius, cui apponitur, sed alicujus tertii, vel Dei, v. g. « Ducam te, si hic annus frugifer erit. » vel, « si princeps mihi illud officium conferat. » Mixta est, quæ de utraque participat, ita ut partim a voluntate illius, cui apponitur, partim ab alio dependeat, arg. l. *Si pater. c. de Instit. et substit.*

7. *Alia possibilis: alia impossibilis.* — Quarto. Rursus conditio alia est possibilis, alia impossibilis. Illa est, quæ evenire potest. Hæc est, quæ vel naturaliter fieri nequit, vel a lege prohibita est; quia etiam illa, quæ de jure nequeunt fieri, impossibilia vocantur, per dicta lib. I, tit. XL, n. 46.

8. *Alia honesta: alia turpis.* — Quinto. Insuper conditio alia est honesta, alia inhonesta, seu turpis. Honestas est, quæ nulla lege prohibita invenitur. Inhonestas seu turpis, quæ contra legem divinam, aut naturalem, vel humanam est.

9. *Tandem alia suspensiva: alia resolutiva.* — Tandem alia est suspensiva, alia resolutiva. Suspensiva est, quæ suspendit actum, donec conditio eveniat, estque futura contingens, de qua supra n. 5. Resolutiva est, quæ non obstat, quin actus statim valeat, facit tamen, ut resolvatur et pereat, non quidem si conditio deficiat, sed eveniat, arg. l. 3. ff. de *contrah. Empt.* quæ tamen propria conditio non est, hoc ipso quod actum non suspendat.

10. *Conditio necessaria habetur pro non adjecta.* — Quæritur II. Quid efficiant conditiones necessariae? Item conditiones impossibiles de præteritis, vel præsentibus? Resp. I. Conditio necessaria quæcumque etiam de futuro concepta, sponsalibus, matrimonio, vel alii contractui adjecta non vitiat actum, nec suspendit, sed facit, quod actus, seu contractus illico valeat, ac si nulla conditio apposita fuisset, D. Bonaventura, in 4, dist. 28, q. 3, n. 1; Abbas, in c. in fine; San-

chez, lib. V, disp. 2, n. 2; Navarrus, in *Manual.*, cap. xxii, n. 67; Fagnanus, in c. *Si conditiones*, h. t., n. 16, cum communi aliorum tam theologorum, quam canonistarum, arg. l. *Si pupillus*, 9, § 1, ff. *de Novation.* ibi: « Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino exitura est, pure videtur stipulari. » Ratio est, quia, cum conditio necessaria jam sit determinata in sua causa, et non possit non evenire, jam habetur pro existente, arg. l. *Heres meus*, 79, ff. *de Condit. et demonst.*

11. *Nisi adjiciatur pro temporis determinatione.* — Limitatur conclusio in casu, quo ex circumstantiis colligitur, conditionem necessariam esse appositam, non tanquam præfinitionem ac determinationem temporis, quo quis juxta promissum nubere velit: v. g. « contraham tecum, si pater meus moriatur, » quamvis enim hæc conditio sit necessaria, cit. l. *Heres meus*, ff. *de Condit. et demonst.* tamen bene fieri potest, quod non per modum conditionis, sed temporis apponatur, ut sensus sit, quamprimum « pater meus mortuus fuerit, contraham tecum. » Et hinc usque ad mortem patris suspenditur obligatio contrahendi, Sanchez, loc. cit., cum aliis.

12. *Actus per conditionem de præterito aut præsentem non vitiatur, sed hac existente valeat, non existente nullus est.* — Resp. II. Conditio de præterito, vel præsentem, v. g. « Si virgo, aut nobilis es: Si navis ex India jam advenit, contraham tecum, » pariter non suspendit, nec vitiatur sponsalia, matrimonium, vel alium contractum, sed facit, quod actus illico valeat, si conditio revera, tunc verificatur; vel sit irritus ac nullus, si non verificatur. Sanchez, lib. V, disp. 6, n. 1, eoque teste omnes. Textu claro § *Conditiones*, 6, instit. *de Verb. Obligat.* quem textum vide supra n. 5. Ratio est, quia contractus dependet a voluntate et conventionem contrahentium, c. *Contractus*, 85, *de Reg. jur.* in 6. ibi: « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur: » consequenter si sub præfata conditione contrahunt, contractus subsistente conditione valebit, non subsistente autem nullus erit; etiamsi contrahentes ignorent conditionem jam existere, vel extitisse, Layman, lib. V, tr. X, p. 2, cap. vii, n. 1; Pirhing, h. t., n. 3, arg. l. *Cum ad præsens*, ff. *de Reb. credit.* et l. *Cum in secundo*, ff. *de Injusto rupto.*

13. *Etiam matrimonium.* — Infertur cum

Fagnano, in cit. c. *Si conditiones*, h. t., n. 14 et seqq. Non tantum sponsalia, sed ipsum etiam matrimonium esse nullum, quod contrahitur sub « conditione de præterito aut præsentem, » si conditio non subsit, v. g. « Contraham tecum, si es legitima, » vel si es virgo, vel « si non es leprosa, etc. » quamvis enim error qualitatibus non vitiatur matrimonium per dicta supra, tamen vitiatur, et annullat illud, si adjiciatur per modum conditionis, et hæc deficiat.

14. *Nec validatur per copulam subsequentem.* — Nec validatur tale matrimonium per copulam subsequentem. Fagnanus, loc. cit., n. 22; Abbas, in c. *Per tuas*, 6, h. t., n. 4, et ibi Ancharanus; licet enim per copulam carnalem subsequatam validetur matrimonium sub conditione de futuro initum c. v, et 6, h. t., secus tamen est, ubi apponitur conditio de præterito, aut præsentem, utpote quæ actum non suspendit, juxta dicta, sed statim validum aut invalidum reddit, per dicta n. 12. consequenter ab illa per copulam quis recedere præsumi non potest, uti a conditione de futuro.

15. *Possibilis et honesta conditio de futuro suspendit quemvis contractum.* — Quæritur III. Quid operentur « conditiones de futuro contingente possibilis honestæ, » v. g. « Si pater tuus consentiat, si hoc officium obtinebis, etc. » sponsalibus, aut matrimonio, vel aliis contractibus appositæ? Resp. I. Hæc conditiones quemvis contractum suspendunt, ita ut non valeat, nec obliget, donec conditio adimpleatur, aut eveniat. Communis ac certa, Ratio est, quia natura hujus conditionis est, actum, cui apponitur, suspendere, arg. § *Sub conditione*, Instit. *de Verb. Obligat.* Et de sponsalibus in specie expresse habetur c. *De illis*, 3, h. t., de matrimonio autem c. *Super eo*, 5, eod.

16. *Qui tamen impleta conditione statim valet sine novo consensu.* — Resp. II. Sponsalia sub conditione honesta de futuro contracta evadunt absoluta, et obligant sine novo consensu, quamprimum conditio evenit, ac impletur. Communis ac certa, argumento a sensu contrario, c. un. *de Sponsalib.*, in 6. Ratio est, quia universaliter omnes contractus sub conditione de futuro celebrati, sine novo consensu perficiuntur, quamprimum conditio purificatur, arg. l. *Hæc conditio*, 7, *de Contrah. Empt.*, et l. *Potior*, 11, § 1, ff. *Qui potior*, in pig. ibi: « Cum enim semel conditio existit, perinde habetur, ac si illo

tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset. »

17. *Etiam matrimonium.* — Resp. III. Etiam matrimonium in præsentia parochi et testium per verba de præsentem sub « conditione de futuro, » v. g. *Contraham tecum, si pater meus consentiat, » sine novo consensu evadit absolutum, et valet conditione eveniente.* Sanchez, lib. V, disp. 8, n. 5; Abbas, in c. *De illis*, 3, h. t. ad finem; Ancharanus, in c. 1, h. t., n. 1, et ibi Joan. Andreas, n. 1. Innocentius post principium; Pirhing, h. t., n. 23; Fagnanus, in c. *Super eo*, h. t. a n. 2, cum communi canonistarum contra Gutierrez, canon. qq. lib. I, cap. xii, n. 21 et alios arg. c. *Super eo*, 5, h. t., ubi proposita quæstione, an, qui per verba de præsentem sub conditione de futuro contraxit, teneatur consummare matrimonium, respondit Papa, quod ante eventum non teneatur consummare; ergo a sensu contrario post eventum tenetur, consequenter validum evadit matrimonium.

Nec obstat, quod in cit. c. *Super eo*, solum dicatur, eum ante eventum conditionis non teneri ad contrahendum; respondetur enim, ibi ly contrahere idem significare ac consummare; ut interrogatio et responsio convenient, arg. l. 1. c. *de Divers. Rescript.* et c. *Qualiter*, 24, *de Accusat.* ibi: « ut juxta formam judicii sententiæ quoque forma dicitur. »

18. *Probatum ratione.* — Ratio autem conclusionis est: tum quia consensus per verba de præsentem, sub conditione de futuro datus, virtualiter perseverat usque ad eventum conditionis, nisi revocetur, arg. c. fin. *de Procurat.* in 6, ergo si dein conditio adimpletur, consensus absolutus evadit, consequenter ad matrimonium perficiendum sufficiens adest, arg. cit. l. *Potior*, 11, § 1, ff. *Qui potior pignor.* Tum quia omnes alii contractus sub conditione de futuro initi, eveniente et non revocata conditione, sine novo consensu evadunt absoluti ac perfecti per dicta n. 16, et communem ac certam aliorum; ergo etiam contractus matrimonii, præsertim cum non appareat ratio, cur hic solus contractus a generali juris Regula, ac dispositione degeneret.

19. *Et declaratione cardinalium.* — Confirmatur ex repetitis declarationibus cardinalium per romanos pontifices approbatis, de quibus vide apud Fagnanum, in cit. c. *Super eo*, h. t., a. n. 4, vi quarum habetur,

quod matrimonium per verba de præsentem sub honesta conditione de futuro contractum, etiam post concilium Tridentinum valeat, nec opus amplius sit, ut in præsentia parochi et testium fiat, ad evitandas lites et difficultates, quæ ex diversitate opinionum inter doctores facile oriri possent.

20. *Matrimonium sub conditione de præsentem initum non potest consummari, donec rescitur extare conditionem.* — Illud etiam notandum, quod sicut de matrimoniis sub conditione de præsentem aut futuro initis diximus, ea absoluta et perfecta fieri, quamprimum adimpletur conditio, etsi adimpletionem adhuc ignorent contrahentes, ita de matrimoniis per verba de præsentem sub conditione de futuro celebratis per jura n. 12. citata: licet antequam conditionem resciant matrimonium licite consummare nondum possint, hoc ipso, quod ignorent, an matrimonium inter ipsos existat.

21. *Licetum est sub honesta conditione de præsentem futuro, vel præterito contrahere sponsalia.* — Quæritur IV. An etiam liceat sponsalia et matrimonia sub conditione contrahere? Resp. I. Sponsalia sub honesta conditione sive de præsentem, sive de præterito, sive de futuro contrahere omnino licet. Omnes, arg. toto titulo præsentem. Ratio etiam est; quia nullibi reperitur prohibitum: juxta vulgatum autem et communiter acceptum Axioma, Gloss. in c. *Inter corporalia*, 7, *Non invenitur de Translat. episc.* ibi: « Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur, » arg. c. *Jam nunc*, caus. 28, q. 1, et c. 1. *de Procurat.* in 6. Confirmatur quotidiana, et approbata praxi.

22. *Et matrimonium, quamvis hoc non expediat.* — Resp. II. Quamvis etiam nullibi prohibitum sit, consequenter concessum censeatur matrimonium sub honesta conditione de præsentem, præterito, vel futuro contrahere per dicta num. præced. et toto præsentem, h. t. præsertim c. *Super eo*, 5. Tamen ob plura incommoda consultum non videtur, ut matrimonium sub conditione de futuro contrahatur, nisi specialis urgeat ratio, aut necessitas, ut cum aliis bene monet Gobath, tr. 9, n. 138, suadens parochis, ne tali matrimonio assistant. Illud etiam omnino advertant parochi, necesse est, ut si ob causam gravem matrimonium sub conditione contrahatur, illud consummare non permittant, donec certo constet conditionem esse adimpletam, ne contingat, uti in casu, quem